



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Novum Gratiae Prodigium: Sive Vita Venerabilis Matris,  
Sororis Joannæ à Jesu Maria Monialis Præcipui D. Claræ  
Coenobii In Bvrgos**

**Ameyugo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

Protestatio Authoris Et Utriusque Interpretis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37120**

## PROTESTATIO AUTHORIS

namque discussionem hanc ut opinor tantis nixam, fundamentis historiam suscipies ac veneraberis, DEUMque ter optimum dilaudabis, à quo omne datum bonum & optimum, ceu fonte bonorum promanat. Vale.

## PROTESTATIO AUTHORIS ET UTRISQUE INTERPRETIS.

**I**n fideli atque Catholica veneratione decretorum à supremo Romanæ Inquisitionis Senatu emanatorum, atque à sua Sanctitate Urbano VIII. beatissimæ memoriæ, Anno 1625. 13. Januarij & 25. Junij Anno 1634. approbatorum, unâ cum facta ab eodem summo Pontifice Anno 1631. 5. Junij modificatione ad eos pertinente scriptores historicos, qui Vitas, Miracula, Revelationes, aliaque supernaturalia dona eorum conscribunt, qui bona quidem cum sanctitatis opinione è vita excesserunt, non tamen adhuc dum canonizati aut beatificati sunt, protestamur cum Authore ambo Interpretes in forma Catholica, quòd omnia & singula miracula, revelationes, divinàque munera, tam hujus famulæ DEI, quàm aliarum personarum, quarum in hac historia fit mentio, aut quomodolibet de iisdem agitur, nullâ, ne in minimo, divinâ aut Ecclesiasticâ sedis Pontificiæ autoritate nitantur, sed solâ duntaxat humanâ fide, autoritateque subsistant, quemadmodum alioquin pura humana relatio aut historia solet à Christi fidelibus legi & accipi. Similiter protestamur, quòd in nominibus seu titulis honorariis & appellationibus, Sancti aut Beati (quibus nonnunquam cum in hac famula DEI, tum aliis personis ornandis utimur) ne utiquam nostræ sit mentis eosdem Sanctos, Beatosve proclamare; sed quòd nomina hæc & prædicata, tituli que, secundùm humanam, & bonam de iisdem opinionem tantùm sint intelligendi. Nec ullo pacto animus nobis est, per ejusmodi nomina venerationem sanctis debitam inducere, sed volumus id duntaxat eo modo intelligi, quo in communi usu sermonis magnâ virtute præditi homines, in vitis suis, Sancti appellari solent. Hæc nostra est mens ac protestatio ex integro corde, Burgis 4. Augusti, 1671.

*F. Franciscus de Amejugo*

*Et cum eo*

*Ambo Interpretes Carisiani.*

ISAGO-